

P R A E F A T I O.



Inter omnia instrumenta Mathematica, tam à Veteribus, quam etiam à recentioribus excogitata, nullum omninò reperitur, quod ad motum primi mobilis aliorumq; orbium inuestigandum, variasq; operationes tam in Astronomicis quam in Geometricis perficiendas sit accommodatius, quam Astrolabium; quod à Claudio Ptolomeo Planisphaerium inscribitur, in quo nimirum omnes circuli caelestes, quos in primo mobili nobis imaginamur, rationibus Geometricis ita in planum proyiciuntur, ut singula illorum puncta & arcus dimetiri non minus accuratè & exquisitè liceat, quam in globo aliquo perfectè rotundo, qui primum mobile referat. Quamvis enim sphaera solida seu globus, què iam antea vobis explicui, omnibus instrumentis, quæ aut cogitatione concipi, aut arte exstrui possint iure sit anteponendus; eò quod perfectissimam totius cæli imaginem referat: quia tamen ob perfectissimam eius rotunditatem, quam habere debet, vix ea, qua requiritur, perfectione construitur, nec circuli omnes scitu necessarij, omniaq; puncta in eò commodè describi possunt; ideo summa industria sphaeram talem seu globum veteres Astronomi in planam superficiem traduxerunt, ut & ad transportationem de loco in locum esset aptior, breuiq; quasi compendio omnia complecteretur, quæ ad operationes siue Geometricas, siue Astronomicas essent necessaria: quodcumq; enim instrumentum aut à veteribus, aut à modernis excogitatum contemplari licet, aut Astrolabij pars est, aut aliquo modo ad illud referri potest; ita ut bene percepta huius instrumenti tum fabrica, tum usu, reliquorum etiam instrumentorum praxis ignorari haud facile queat: ideoq; illius hic tradere non minus breuem quam dilucidam explicationem intendo. Quæ Explicatio ut ordine procedat, in tria capitula distinguetur: In primo Astrolabij constructionē omnesq; eius partes, siue materiales sint, siue formales, methodo resolutoria explanabimus. Intelligo autem per partes materiales, diversa illa organa, siue ex aurichalco, siue ex cupro,

A siue